NOVVS SOL
IN CÆLO BASILIANO
RELVCENS
B. IOSAPHAT KVNCEVVICZ

ARCHIEPISCOPVS POLOCEN
Episcopus VVitepscen.
Mscislauien. &c.

Ob Fidem Catholicam crudeliter necatus

ROMAE PVBLICA ORATIONE

Die Nouemb. 12. natali eiusdem, Anno 1648. in Ecclesia SS. Sergij & Bacchi ad Aedes RR. PP. Basilianorum inter Missæ solemnia.

A CASIMIRO IOANNE VVOYSZNAROVVICZ
Sacræ Theologiæ Doctore,
Regis Poloniarum Secretario expositus.

ROMÆ, Ex Typographia Bernardini Tani. M.CD.XXXXIX.
Superiorum permissu.

SANCTISS.MO D. N.

INNOCENTIO DECIMO.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Post humilem Beatissimorum Pedum exosculationem.

CASIMIRUS VVOTSZNAROVICZ P. F.

NOVI ad Phœnomena anni nouum oriri decebat Solem BEATISSIME PATER, neq; sine nouo Phosphoro oriri decuerat nouam diem. Ab Apibus ille Barberinis splendorem, à Tuo Pacis in Orbe Paranympho mutuatus est vitam, quarum quod splendeat lumine, Tui

quod

quod viuat vitâ, debet, cùm & ipse æternam Cœlo Basiliano in prædio mortis suæ seminarit. Mellifluus sanè Orbi Polono de stillante melle Apum alueario accreuit fauus, quem tamen nisi Tua formasset pietas, non ille sui mellis dulcedine Orbem recreasset, neque sui aculei punctione malesani Schismatis retulisset impetus. Thesaurus ignoratus neminem ditat, & lucerna sub modio demeretur lumen quod habet, quia nulli dat. Ne celata Virtus IOSAPHATI Martyris sterile bonum esset, prodita per Te & admiratores & amatores peperit. Hoc solùm supererat, vt virentem Oliuæ Tuæ Palmam in Martyrij Diuo Tutelari transmutares laureolam, quæ vt primùm Purpura-

tam

tam ſe ſenſit, Te inter Purpuratos Orbis Principem præſago ſalutauit auſpicio. Tua demum Lilieta in Cæli Terræque Claues tranſmutata veneratura. Reſpiciunt aliena ſolem, cùm emendicato viuant ab eo colore: Tuis ipſe Sol, & quidem nouus in Cęlo Baſiliano in tributum cum vniuerſa religione cedit. Qui ad tanti Nominis ſplendorem petijſſet tenebras, niſi à Te vt Principe luminum ſemel Tæda ſanctitatis nobilitatus eſſet. Prætulit illi facem Columba, quam pacis & fœderis mundus amicam cognouit; dum pacem ab illa accepit, eandem & hodie ſuis in partibus accepturus. Huic Soli, Religionique ſimul Baſilianæ ſi Te, Beatiſſime Pater, ſubtrahas, ademptâ corpori animâ cadauer

uer fecisti. Meam verò tolerabis, temeritatem, quæ si Dignitati non consuluit Tuæ, necessitati consulit alienæ. Faustos Orbi ad imperandum suis quadrigis hicce Sol subuehet dies, nostris de annis pacificos INNOCENTIO X. adaugens annos, ita voueo.

ORATIO.

REmpublicam Cœlos esse, veterum docent monumenta, Religiosissimi Patres, cæterique Auditores Illustrissimi. Principes verò non nisi Soles, ac Numina in ijs haberi. Vnde quaquauersus tendunt, cùm Soles sint, serenitatem spargere debent; vt ab augusta semita augustiores ipsi conspiciantur. Pulchritudinem suam proijcerent verius quàm exponerent, nisi illius spectandæ gratia Deus nouum huic Cœlo oculum leges scilicet condidisset. At persæpe in augusta via, angustæ, vitiorum tenebris caligant, quæ si Cœlum in suæ gloriæ vocent partem, non nisi Babylonicum, quod superba Cosdræ duxerat moles, euocabunt. Supremum porrò illud, illud inquam, Diuinæ bonitatis domicilium, vbi sola virtutum fœcunditas sibi Cœlum, Numenq; est, alijs associari cupit. Et cùm duo sint ex ipsa Diuinitatis infinita luce nostrorum animorum decora delibata, quæ cæcutienti ad virtutem mortalitati affulgent; Sanctitas nimirum, & Sapientia: his se in ne-

xum

xum præbet, his in Societatem offert, vt sanctitatem cum sapientia iunctam Coelos esse commonstret. Quid itaque mirum, si terrestris deliciarum Paradisus, Magni videlicet Basilij institutum, in quo consita sunt omnium florum genera, virtutumque odoramenta, Cœlorum naturam assumat? Quicquid enim decori, quicquid splendidi suæ ad gloriæ maiestatem reseruarunt sibi Coeli, id vniuersum iam non industriâ, sed virtute Orbi ad admirationem in hoc Cælo videre est. Planè mens huic spectaculo data, Religionem inter astra, Religiosos inter cælestes discernere nequit Incolas. Liceat igitur hodiè vestri Cæli Religiosissimi Patres, cùm mihi amœna sese offerant cacumina, ingredi arcana. Iure Te stellatum nuncupauêre alij; Tuæ quandoquidem lucis aurea liberalitas, non iam vnum Terrarum punctum Græciam; sed omnium populorum, Italiæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Moscouiæ, Turciæ oras beat. Et si cui mundus quod luceat, Sapientiæ debet, potissimum Vestræ; cùm vos in vestris Athanasijs, Basilijs, Gregorijs, Chrysostomis, Cyrillis, Epiphanijs, Damascenis, cæterisque supremis Ecclesiæ luminaribus, sitis

lux Mundi. Et quotquot in hoc Cælo Basiliano lego Diuorum Pontificum Tiaras, Antistitum Purpuras, Diuinos veneror Planetas, quorum ſydera mole virtutis maxima adeò Terris conſpicua ſunt, vt ipſo quo capiuntur maiora Cælo, vno minora Deo eſſe fateamur. Et hæc veſtra lux, quam hodie Orbis, ſubmiſſa in vobis à trecentis & mille annis adorat veneratione adhuc naſci non ceſſans tot annos nata, ſui ſpeculatrix & ſpeculum, radios dum accipit reddit; ſanctitas enim & ſapientia ſerena eam circumſcripſit antiperiſtaſi. Sed dum in veſtro Cælo peregrinis immoror luminibus, nouus mihi in Orbe meo Lithuano oritur Sol, Diuum loquor IOSAPHATVM Polocenſem Archiepiſcopum; vt ex tantis luminibus ipſum, magis tamen tanta Cælorum Numina ex ipſo æſtimem. Eloquentiæ ille non indiget luminibus, vt conſpiciatur; qui ſua ſatis luce conſpicuus eſt: abunde quippe vt Orbi luceret, non colore ſed cruore effulſit. Ea planè Purpuram eius expectabat prærogatiua, vt eam proprio purpuraſſet ſanguine; de quo vobis Patres Religioſiſſimi non cruor mortis, ſed radij promanarunt gloriæ. Credo ego Illuſtriſs. AA. magis vos Orientis, quàm Occidentis Solis vel-

le ſpectare cataſtrophen, quamuis ille ita ſe ſplendidiſſimum ad ſui occaſum præbuerit, vt ſerenior de morte illius emicaret vobis dies; quàm mundus illius natali, ſuâ blandientis fortunæ arriſit aurorâ. Quiſquis enim crepundijs virtutem metitur, ſeſe vanæ nobilitatis nexu in opinionem illigat. Fateor longam Principum ſucceſſionem cuiuſuis celebrare nobilitatem: illa tamen, ſi ad cæleſtis honoris non deuenerit maturitatem, ſolia Regum quamuis ſcandat, ſceptraque ac Coronas occupet, humi tamen ſerpit. Abauos, proauoſque eius ne quære, illi tota nobilitas Religio eſt, adeò vera nobilitas ſine maioribus eſſe poteſt. Felicem ab hoc Oriente Meridiei, & Occaſus ad inaugurandum accipimus euentum. Ominoſum ſanè proprij nominis in Baptiſmo ſuſcepti ſcilicet Ioannis, ſignum ad gratiæ inuitat plenitudinem: quod cum hoc ipſum portendat, noſtrum in Religione Præſulem, Iudicis (cùm Ioſaphat ſonet Iudicem) ad veritatis defendendæ tutelam nomen aſſumere coegit. Hic iam Oraculi inſtar Cælum Baſilianum ab hoc Sole accepit, cum pugnanti contra ſcelera maleſani Schiſmatis Ioſui, nullis mortalium fraudibus viribuſque ab inſtituto curſu reprehendi poſſe

ac retardari. Sortitus itaque ille Diuini fati nomen, vt Cælestis Patriæ Incola esset, ab Oriente in Meridiem properauit. Vnde vt sub meridie supra aureum Ecclesiæ luceret candelabrum, Episcopali VVitepscensi, Mscislauiensi, tum demum Archiepiscopali Polocensi condecoratur Tiara. Sed ignito Soli restabat gelido scelerum turbine afflictam, & penè in illis partibus extinctam accendere virtutum suarum fæcundo calore fidem. Hinc igitur ille totum Orbem Ruthenum tenebrarum vitijs meridiana in luce caligantem illustrat, feruoreque Orthodoxæ veritatis congelatos suorum accendit animos. Hac Tu stellata via Tuarum Sol stellarum vadis, quò nonnisi ad nefandam à coniurato in Tuam vitam scelere Magne Præsul itur mortem. Iam perfidum schisma indomitos suo furore intonat spiritus, quò, quò Sol raperis, cùm Tui nondum occasus succedat hora? At præmaturi huius Occidentis Solis adstantem in cubiculo VVitebscij video Hesperum, qui atratam toti Poloniæ, tristissimamque vobis Religiosissimi Patres Solis denuntiet noctem, Præsuli porro nostro nouum Triumphi inauguretur diem. Rapitur itaque inter lictores captiuus Præsul, atque ab armata Schi-

sma-

ſmaticorum plebe ſanguine perfunditur: caputque illud, quod ſtellantibus veritatis emicabat radijs, ſecuri conciditur; nimirum, non Oceano, quod ſoli affinxerant Poetæ, ſed vberrimis proprij ſanguinis riuis immergi neceſſum habuit in Occaſu, vt NOVVS poſthac Vrbi, & Orbi in Eccleſia Orientali oriretur Sol. Veſte deinde, quam ei virginalis fæcunditas produxit, artifex Diuinitas contexuit, detrahitur, & Sol indutus ſacco cilicino conſpicitur. Quid tum? in Sole quæritant Solem, rati ſolem nunquam cilicino ſacco indui potuiſſe. Inuadunt itaque Aulam vbi nefando ſceleri imponant coronidem. At vt primùm poſt Occaſum huius Solis eundem oriri Solem agnouerunt, cumque iam tota ciuitas, eclipſato tenebris vitiorum Sole excæcaretur; ducunt in ludibrium per nebulas Ciuitatis innocentiſſimum IOSAPHATI Corpus, vt ſuo lucidum Solem mergant in ſcelere. Sed vt linum iniuriâ fit melius, ita inter denſas nebulas Sol fit ſerenior: atque inter liuorem verberum, inter ruborem vulnerum, contuſa fulget Innocentia candidior. Innocentem nefanda ſceleratorum manus vt fateretur trucidaſſe, profundum petit fluuij Dzvvina dicti, atq; fortuitò occurrenti Puteo

teo Sancto, ita antiquitus à trecentis annis nuncupato, qui sub aquis occultus latebat, inijcit Præsulem, & altissimis sepelit aquis. Cum enim non haberet tunc vnde tegeretur in terra, detectus est aquis. Quid hic aliud Cælum voluit Auditores, nisi vt cælestis Sol sanctis requiesceret sub imbribus: & vt quondam ad sepulturam Aquilæ Polonæ Diuo Stanislao adstabant Aquilæ; ita ad Sepulturam Solis Basiliani adstabat suis radijs Sol, vt in absconditis aquarum inquirentibus lucem Solis, Solem demonstraret? Lacteam Cæli viam ne credas, eam dum IOSAPHAT ingreditur docet esse sanguineam. Occidit iam Sol, necesse est vt mea quoque occidat Oratio. Vestri enim Præsulis laudes tot ora, quot vulnera perorabunt. Non enim obtenebratus est Sol eius in ortu, non occidit Sol eius in meridie, neque ille mortuus est occidente Sole. Restat, Beatissime Præsul, vt qui iam in Zodiaco Beatitatis Orbi reluces, Tuis radijs illam fumantem furore Dei faciem, quam nostra accendit impietas, extinguas. Tu Tuis radijs Ecclesiæ Orthodoxæ Romanæ simul, atque Orientali, supremoque in Terris Christi Vicario INNOCENTIO X. Tui luminis Primo in Vrbe & Orbe fautori,

sere-

ſerenos, fauſtos, pacificos florentibus Oliuæ ramis, diu Orbi ad imperandum promittito dies. Et ſiquando, hodie, hodie ad vnanimem Religendi Regis Polonorum conſenſum in Republica Polona omnium animos accende. Tuis radijs, quibus Schiſmaticorum impetus debellando, Cælum ingreſſus es, Tuæ Patriæ, Poloniæ inquam, de rebellibus Koſacis, Tartaris fortunatam conciliato victoriam. Quid plura Auditores? poſt occaſum Baſiliani Solis; Orietur vobis Sol Iuſtitiæ, & erit in diebus veſtris abundantia Pacis.

DIXI.

FINE